

Πι  
1022





~~Q 7C 449~~

Q 7C. 557(12)





DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
NOVO LEGIS-  
LATORE  
CHRISTO,  
CONTRA SOCINIANOS & ARMINIANOS,

*QVAM*  
ANNUENTE DEO OPT. MAX.

*PRÆSIDE*  
MICHAELE VVALTHERO,  
S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. P.

*IN AUDITOR. MAIORI,*  
AD D. IX. DECEMBR. HORIS  
ANTEMERIDIANIS,

*RESPONDENDO DEFENDET*  
M. DAVID HORNICEUS,  
RIGA LIVONUS.

---

*VVITTENBERGÆ,*  
Typis JOHANNIS MICHAELIS GODERITSCHII, 1691.



DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

NOVO TESTAMENTO

ACTIBUS

APOSTOLICIS

CONFERENTIA SOCIETATIS ACADEMICAE

AMMENTIS 1700

PAULUS

MICHAELIS WYLLIAMS

THEOLOGICUS

In Auditorio Martii

1700

RESPONDENS

FRANCIS

WYLLIAMS

WITTEBERGA

JOHANNES MICHAELIS WYLLIAMS

7







# THESIS

## I.



Arvi momenti res, ac fortè supervacanea existimari quæstio possit, Doctorne legis antiqvæ, atqve interpretæ; an novorum præceptorum auctor extiterit, Christus Servator. Hoc enim apertè asserunt Theologi Remonstrantes, & sibi videntur argumentis efficere. Meminerant Declarationis suæ, quinto & decimo Capite mandatorum, quæ à Jesu Christo communiter nobis præcepta, seu Christianis omnibus ex æquo, ad æternam salutem consequendam, observatu necessaria essent. Quod cum malè haberet Censores Leydenses, arbitratos, cum Socinianis statuere, principalem adventus Christi finem fuisse, ut nobis hæc præcepta, Legalibus etiam perfectiora, proponeret, ut per eorum observationem æternam salutem consequeremur, atqve ita Christum in novum Mosen, seu Legislatorem transformare; his in Apologia ad hunc modum respondent: *Remonstrantes quæstionem, an Christus mandata dederit, Legalibus perfectiora, Christianis non necessariam, adeoque inutilem statuunt. Mandata Christi præstari à Christianis planè necessarium est; nisi enim ea præstent, non possunt ingredi regnum cælorum, Matth. V. 29. At scientia, an mandata Christi, sive N. Testamenti, perfectiora sint mandatis legis, seu V. Testamenti, necessaria non est; Et quia quæstio hæc magnis animis inter Christianos agitur, periculosa etiam Et noxia videri debet. Non enim tenentur Christiani man-*

A. 2.

data



data ista prestare sub eavatione, quod perfectiora sint, nec scientia ista, quod perfectiora sint, necessaria est ut mandata melius aut libentius à Christianis prestentur. Qui enim obedire paratus est precipienti, obedire paratus est quomodocunque precipiat: obligatio ex precepto est, non ex precepti perfectiore aut imperfectiore conditione seu indole. Persvasio obligationis ad parendum ex precipientis auctoritate dependet, non ex qualitate preceptionis perfectiore aut imperfectiore. Et post alia: Remonstrantes quod attinet, illi non dubitant, quin finis Jesu Christi adventus inter alios etiam hic fuerit, ut hæc præcepta nobis proponeret: an principalis fuerit, & quid vox principalis significet, scrupulosè inquiri opera pretium non putant, scilicet is Christianis labor est, ea cura pios sollicitat. Habeant sibi hæc & alia vitiligatores Academici, quibus libet ex mustaceo isto laureolam petere, & in enucleandis ejusmodi questionum arcanis ingenium simul ac tempus suum dilapidare.

II. Iidem Confessionis sive Declarationis Cap. XIII. post explicatas omnes virtutes, quas ad Decalogum referri oportere judicant], etiam alia præcepta requiri docuerant. Quod quid sit, nescire se profitentur Leydenses, nisi fortè cum Anabaptistis & Socinianis velint ostendere, quod legem Decalogi non esse perfectam vitæ Christianæ normam, sed Christum sub Evangelio perfectiorem vivendi regulam discipulis suis tradidisse sentiant. Ad quæ isti in Apologia: Censura hæc inutilis est, quia, quid ad rem facit, sive Christianus credat, Legem Decalogi perfectam vitæ Christianæ normam continere, sive id neget, & contra credat, Christum sub Evangelio perfectiorem vivendi regulam discipulis suis tradidisse? Nam sive hoc, sive istud credat, secundum istam regulam ipsi vivendum est, quam Christus tradidit, sive ea sit perfectior vivendi regula, quam Lex tradit, sive non sit. Cumque



que Censores petiissent explicari sibi, quod dilectionem Dei & proximi totam contineri Lege Morali, hac addita cautione dicerent, quatenus à Christo exposita est, Cap. XII. ut constaret, quo pacto expositionem illam à Christo factam intelligant, an per novorum & Lege non comprehensorum præceptorum additionem, an per interpretationem eorum sensuum, qui verbis Legis continentur; partes impositas ita declinant: *Remonstrantes necessarium non putant, ut hoc explicent. Fruatur quisque judicio suo. Nam quicquid dixeris, semper tamen eo redibit res, observationem Legis Moralis, quatenus à Christo exposita est, nec aliter, Christianis hoc tempore necessariam esse, quomodocunque tandem expositio illa à Christo Jesu facta dicatur. Hoc satis est: Enim vero dato, sed non concesso, Remonstrantes credere expositionem hanc à Christo factam per additionem novorum præceptorum, (non quæ præcepta perfectionis aut Consilii à Pontificiis vocantur. Tali enim Remonstrantes non agnoscere certum est; sed quæ perfectiora sunt in genere morum, ut loquuntur, quàm sunt præcepta Legis Mosaica, prout jacent,) quid inde efficietur? Sic Remonstrantes, inquit Censor, transibunt in Socini castra. Pape! quantum crimen! Imo vero, sic cum antiquitate pane tota sentient. Est enim constans & communis veterum pane omnium sententia, Christum Jesum nova quædam & perfectiora præcepta Legis Mosaica præceptis addidisse.*

III. Hæc, quæ adduximus, loca Remonstrantibus opposuit Nicolaus Vedelius, ut inveci in Dei Ecclesiam Pyrrhonismi convinceret, Libr. I. de Arcanis Arminianismi Cap. IX. Cui non habentes quod regerent, in Vindiciis doctrinæ suæ, quibus titulum Vedelii Rhapsodi præscripserunt, Cap. IX. digna non esse ajunt objecta, quæ cum cura refellantur. Rationes in Apologia allatas esse, tam solidas, ut eas probo cuique & sano homini sufficere credant.



Simona uitem Episcopus, Vindiciarum auctor, Notis in Matth. V, 17. in extenuanda controversia pergit. Non existimo hic opera pretium esse, ut fanis contentions ab iis, qui Christiani sunt, ducatur super eo, an Christus plenior, an purior tantum legem tradiderit; cum parum ad rem faciat, aut ex usu nostro sit, scire vel tenere, quibus praeceptis obnoxii vixerint olim Iudaei; si tantummodo id certum sit, ad nos haec praecepta J. Christi pertinere, & sine eorum observatione salvari nos non posse. Quid enim ad nos Christianos magnopere attinet, siue sciamus, siue nesciamus, an praecepta haec, quae hic nobis tradidit Dominus noster Jesus, eadem prorsus sint cum iis, quae olim Moses populo Israelitico dedit? Siue enim eadem sint, siue diversa, iis tanquam praeceptis parendum est; non tanquam iisdem, aut tanquam perfectioribus. Ad excellentiam Mediatoris & Evangelii videtur aliquid facere posse, si perfectiora esse credantur: sed ea res tanti nobis esse non debet, ut propterea contendere cum quoquam velimus. Qui eadem esse vult cum Mosis praeceptis, saltem necesse habet Mosis praecepta ad haec praecepta J. Christi exigere, & interpretari, tanquam plenius & planius continentia sensum Legislatoris, & legis ipsius scopum atque intentionem. Huc pertinet, quod interrogatus à Witzendorffio Episcopus, an decisio controversiae de sententia Christi Matthaei V, ad salutem necessaria sit, negativam sustinens, Certum est, inquit, conscripta ad eum epistolâ, quae est Remonstrantium Theologorum quinquagesima vicesima quinta, inter omnes Christianos, praecepta illa Christi, quae Cap. V. & VI. Matthaei recensentur, nos obligare, quatenus ibi à Christo proposita leguntur, eosque qui ea vera fide custodiunt, aeternum saluos fore. Quid itaque attinet inquirere, an praecepta ista opposita sint permissionibus legalibus, an praevis interpretamentis Pharisaorum, utrumcunque enim credideris,



aeris, certum semper ac fixum manet, ipsa Christi praecepta servanda esse, & istis sic servatis, salutem nostram in tuto ac vado esse

IV. Stephanus Curcellæus, Episcopii successor, Institutione Religionis Christianæ Libr. V. Cap. XVI. controversiæ pondus sicco pede præterit. Philippus autem Limburgius, Libr. III. Theolog. Christian. Cap. XVI. quæ inter Socinū & Contra remonstrantes in contrarias partes disputantur, amicè componi posse existimat, si sensum Legis literalem, quem litera præcisè sumpta indicat, à mystico, quem juxta ultimam Dei intentionem, licet clarè non expressam, involvit, distingvamus. Legem, ait, si consideremus secundum literam, indubium est, quin Evangelium ipsum tam præceptorum perfectione, quàm promissorum magnitudine antecellat. Si verò mysticum Legis sensum ultimumque quem Deus intendit scopum attendamus, indubium est quin Deus perfectam vitam sanctitatem intenderit, & perfectam felicitatem promiserit. Generalia quippe præcepta de corde circumcidendo, Deo ex omnibus viribus amando, similiaque, juxta ultimam Dei intentionem, ad omnia officia quæ huc referri possunt, extendi poterant & debebant: sicut & promissum generale vitæ, vitam æternam in se concludebat. Interim certum est, plurimos mysticum hunc Legis sensum, tam ratione præceptorum quàm promissorum non percepisse, & literæ Legis intentos, secundam ipsius præscriptum vitam instituisse. Quamquam itaque scopus legis esset, ut homines à sibi speciali Dei indulgentia concessis abstinerent, quiqve Legis verè studiosi erant ea ut defectus sollicitè vitarent; tamen durante illa Legis œconomia si quis defectus illos non evasisset & literæ Legis intentus ad cultum verè spirituales non ascendisset, violatæ Legis reus censeretur non poterat. In eo itaque præcepta J. Christi præstant Mosaicis, quòd quæ ex scopo  
gener



*generalibusque praeceptis Legis studio & industria erui debe-  
bant, nunc specialibus praeceptis à Christo clarè mandata sint:  
adeò ut sine peccato ignorari aut omitti nequeant.*

V. Nunquam verò concessuri sunt Contraremon-  
strantes, neque nobis integrum est admittere, vel disputa-  
ri de umbra, vel esse tam facilem, expeditamque viam  
concordiæ. Quod ut ab omnibus intelligatur, rem ab o-  
vo repetere lubet. Faustus Socinus, libello svasorio, quòd  
Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithuaniae homines, vul-  
gò Evangelici dicti, qui solidæ pietatis sunt studiosi, omni-  
no deberent se illorum cætui adjungere, qui in iisdem lo-  
cis falsò atque immeritò Arriani atque Ebionitæ vocantur,  
supponens ad regnum Dei possidendum, necesse esse in  
nullo peccato manere; in Evangelicorum religione, do-  
gmata & sententias haberi dicit, Cap. II. quæ vix ullo mo-  
do permittunt, ut, qui eas tenet, in nullo peccato mane-  
at. Idque probaturus, inter doctrinas cæteras, sententi-  
am de Justificatione nostra accusat, quasi præ reliquis a-  
ptam, ad retinendum hominem in statu peccati, & deter-  
rendum à studio sese à peccatorum laqueis extricandi.  
Enimverò allegatam justificationis nostræ coram Deo caus-  
sam, satisfactionem Christi plenissimam, nullo Scripturæ  
testimonio fulcitam, & cum remissione peccatorum aper-  
tè pugnans, propter quam nos confidamus Deo gratos  
acceptosque esse, bonis operibus quidem in justificato re-  
quisitis, fidei fructibus, sed à justificatione exclusis, inque co-  
nata repositis, effectu plerumque carentibus, consequenter  
ac necessariò gignere opinionem, vel ipso auditu horribilem,  
nihil esse opus, ut homo Christianus à servitute peccati sese  
in libertatem vindicer, vitæque sanctimoniam studeat, cum  
jam regeneratus justificatusque sit, in quo est bene agendi vo-  
luntas, etiamsi operetur iniquitatem. Creditam quoque  
præter



præter auctoritatem Sacrarum literarum imputationem  
justitiæ Christi, aut non imputationem peccatorum, relin-  
quere in justificatis, bonorum operum studiosis, vitiosita-  
tem, quæ in contrariam partem rapiat, & peccati jugum  
excudere non sinat. Ex quo liceat colligere, non esse ne-  
cesse, ut non sit peccati servus, qui vult salvus fieri: imò  
Deo & Christo gratissimos homines sub peccati jugo per-  
petuo esse, nec illud à cervivibus suis, quoad vixerint, un-  
quam posse dejicere. Denique sibi persuadere, ac confide-  
re, quòd Deus nos propter Christum gratos acceptosque  
habeat, non esse verè ac propriè fiduciam, sed fidem histori-  
cam, quæ nec in se ipsa contineat, nec per se efficiat, vel ef-  
ficere possit, ut non secundum carnem, sed secundum spiri-  
tum ambulemus.

VI. Quæ quàm sint profana ac impia, ne dicam falsa,  
non est institutum ostendere: sed tamen operæ pretium,  
quid de justificatione ac fide Socinus doceat, ex parte co-  
gnoscere ac annotare. Principiò igitur credit ille ac statu-  
it, Deum pro summa & sola bonitate, puraque gratia & mi-  
sericordia sua olim decrevisse omnibus resipiscentibus, &  
in posterum, mundanis cupiditatibus valere jussis, sobriè, ju-  
stè ac piè in præsentè seculo viventibus, omnia peccata con-  
donare, eosque post hanc mortalem vitam ad immortalem  
à mortuis excitando transferre; si modò ab eo vitæ instituto,  
ne ipsius quidem mortis terrore, teterrimæ licet ac detesta-  
bilissimæ, dimoverentur. Ac Filium quidem suum unige-  
nitum, Jesum Christum, morti propter nos tradidisse: non  
ut justitiæ suæ, quæ peccatores punit, ulla ex parte satisfacere-  
ret; sed ut nos ad se adduceret, & gratis à peccatorum no-  
strorum pœnis, ipsisque adeò peccatis liberaret. Nec enim  
Deum peccata cuiquam condonare, nisi qui à peccato de-  
sistit, & in Jesum Christum credit, illi confidendo, conce-

B

pta



pta spe consequenda vitæ æternæ; & obediendo, observatio-  
ne mandatorum ejus: obediturum autem Jesu Christo fu-  
isse neminem, nisi is mortem pro nobis, fuso sanguine suo,  
subiisset. Cæterum præcepta Christi, si dicendum brevis-  
simè sit, esse, præter moralia omnia, quæ in Mosis lege con-  
tinentur, abstinere ab omnibus mundanis cupiditatibus,  
ita ut rebus ad hanc vitam transigendam necessariis contem-  
tissimus, nec quicquam præterea quæramus, aut usurpe-  
mus. His qui sub spe adipiscendi vitam æternam obtem-  
perat, hunc à Deo justificari, hoc est, pro justo haberi, &  
à reatu peccatorum suorum absolvi. Atque hanc esse uni-  
cam rationem justificandi per fidem; & fidem nihil aliud  
esse, quàm sub spe consequenda vitæ æternæ Christi man-  
datis obtemperare. Modò caveamus, ne vitæ sanctitatem  
atque innocentiam vel effectum justificationis nostræ, vel  
ipsam justificationem, aut causam hujus vel efficientem,  
vel impulsivam aut meritoriam ponamus. Nil enim esse  
amplius, quàm conditionem, & causam, sine qua eam  
justificationem nobis non contingere, decreverit Deus.  
Paulum equidem Apostolum negare, nos ex operibus ju-  
stificari; sed nomine operum perfectam per totam vitam  
legis divinæ observationem intelligere, nec aliud quic-  
quam dicere velle, nisi nos ex merito ipsorum operum ne-  
quaquam justificari coram Deo; non autem ad nos coram  
ipso Deo justificandos, nulla nostra opera requiri. Obe-  
dientiam mandatis Christi præstitam esse illa opera, ex qui-  
bus nos justificari affirmet Apostolus Jacobus. Esse quo-  
que eandem hominis coram Deo justificandi rationem sub  
utroque fœdere, quatenus utrobique ex parte Dei, pecca-  
torum remissio requiritur, ex hominum verò parte resipi-  
scentia, & Dei præceptorum in posterum obedientia.  
Hanc enim esse fidem, quæ semper hominem Deo accep-  
ptum



ptum reddit, & redditura est. Saltim obedientiam, à nobis requisitam in Novo Fœdere, non planè eandem esse cum ea, quam Deus in Veteri Testamento requisivit, sed multò absolutiorem atque præstantiorem: pro majori perfectione mandatorum Christi, supra Moralia præcepta Mosis. Christum enim Matthæi quinto, sequentibusque Capitibus, non tam falsas Phariseorum & Scribarum interpretationes legis rejecisse, quam legem ipsam reformavisse.

VII. Hæ propositiones penè iisdem verbis leguntur apud Socinum utraqve Synopsi Justificationis nostræ, & Thesibus de Justificatione, nec non Thematibus de Officio Christi XV. XLI. XLII. XLIII. Operum Tom. I. f. 601. ff. f. 776. 777. Repetitæ & copiosius illustratæ à Johanne Volkelio, libr. IV. de Vera Religione Cap. III. & à Christoph. Ostorodo, Institut. Cap. II. atque XXXVI. Plenæ hæreseos pestilentissimæ, & abunde testantes, illud de Christo novo Legislatore commentum Papistico - Anabaptisticum, imò Muhammedicum, excogitatum esse, adhibitumque, non modò ad contumeliam nominis officiique Jesu Christi; verùm etiam ad evertendam doctrinam Evangelii, cum universam, tum eam præcipuè, quæ de Satisfactione & merito, imputataque justitia Christi, de fide justificante, ipsiusque justificationis ratione, denique de discrimine Legis & Evangelii, in Sacris literis perspicuè traditur & explicatur. Quod ne adverterent simplices, omne studium, Socinianorum vestigia legentes, Arminiani conferunt, ad minuendum controversiæ pondus, disceptationisque momentum. Nobis autem eò magis cavendus ac declinandus error venenatus est, quò se facilius insinuat, objectaque pietatis & sanctimoniam singularis imagine, homines imperitos inescat. Ac refellendus etiam,



am, ut eo destructo, quæ inde surrexit, tota humanorum placitorum moles subvertatur, ac sua sponte corruat.

IIX. Ante verò, quàm dijudicetur, rectè proponenda & declaranda partis adversæ sententia est. Quæ novas appellat, quas vult à Christo latas esse leges, respectu legis Mosaicæ, in Veteri Testamento promulgatæ. Et quidem ejus, quæ adhuc observanda est in Novo Testamento, id est Moralis, sive Decalogi. Ceremoniales enim leges, atq; forenses, sub Novo Testamento, abrogatas esse concedit. Veterem autem illam, moralemq; Legem Mosis Sociniani aggravatam esse opinantur à Christo Legislatore in Novo Testamento, requisita noviter majori perfectione, in præscribendo & observando, accessione q;ve facta mandatorum novorum. Sic enim Socinus, de Officio Christi, Them. VI. X. XI. XII. XV. f. 775. *Novum Fœdus, quod Christus cum hominibus pepigit, Veteris Fœderis mandata quædam excludit & tollit; quædam multò perfectiora reddit; adeò ut etiam peculiariter addat, quorum in Mosis lege nulla est facta mentio. Excludit autem præcepta ceremonialia, & ut vocant, judiciaria: hac ratione, ut eis nec ipsi Judæi amplius teneantur. Moralia verò perficit, nempe ea præstantioribus præceptis illustrando, quod nos perfectiora reddidisse intelligi volumus; & mandata quædam peculiariter præscribit, quod addidisse. Smalcus libro de Divinitate Jesu Christi, Cap. V. p. 5. & 6. Præcepta, quæ Christus revelavit, duplici modo considerari possunt. Quædam enim sunt additamenta & perfectiones istius partis legis Mosaicæ, quæ moralis appellantur: quædam verò sunt planè singularia, & quasi nova. Nolumus autem nunc quicquam de eo dicere, quòd reliquas partes duas legis Mosaicæ, nempe ceremoniam & judicialem, D. Jesus abrogavit, revelato cultu spirituali, & latâ lege caritatis. Addatur Catech. RACOV, p. 155. 156. Ostorodus Institut.*



Institut. Cap. XXII. p. 189. seq. Volkel. de Ver. Relig. lib. IV. Cap. V. col. 192. Arminiani in Apologia pro Confessione sua, in Censuram Capitis XIII. Socinianis in eo adstantur perspicuè, dum verbis sequentibus, quid statuant, edisserunt. *Hoc notandum sedulò hic venit, quòd Censor admodum sollicitè, tum hic, tum alibi sæpius, id cautum velit, ne Christus dominus noster credatur Legislator, aut Evangelium ejus credatur lex esse, quæ opera ulla sancta, instar Legis alicujus, præscribat ac jubeat &c. Quid verò est, quod clarius disertiusq; in Evangelio traditur, quàm Christum Legislatorem nostrum esse? Annon ipse passim dicit: Hoc est mandatum meum: Mandatum novum do vobis: Vos discipuli mei eritis, si feceritis, quacunque ego mandavi vobis: Audistis dictum fuisse veteribus: Ego verò dico vobis? Annon ipse mandata sua sancit, promissionibus premiorum, & pœnarum comminationibus? Et quid aliud quæso est Legislatorem esse? Adde: an non judicium peragendum dicitur secundum ejus Evangelium? an non ipse judex erit, & judicem se futurum affirmat eorum, qui vel Evangelio obdixerunt, vel ei obedire detrectaverunt? Certè hoc plus est, quàm Legislatorem esse &c. Episcopus de Messia, Institut. Theolog. libr. III. Sect. IV. Cap. XIV. *Perfectissimam sive supremam Dei voluntatem docturus erat. Electus Dei, in quo sibi complacitura est Dei anima: Es. XLII, 1. & cujus legem NB. Insulares sint expectaturi vers. 4. Hac enim arguunt manifestè, Messiam perfectiorem ipso Mose Doctorem futurum, quia lex ei tribuitur sua propria, quam post Mosén laturus est; quia Spiritus Domini, qui profunditates Dei solus scrutatur, super eo recubiturus dicitur, & quia audiri jubetur tanquam electus Dei servus, in quo anima Dei sibi complacuit. Quæ omnia talia sunt, ut Messie nullo modo possint competere, si non erat docturus alia, aut aliter, quàm ex præscripto Legis**



*Mosaica.* Curcellæus Instit. Relig. Christ. Libr. V. Cap. XVI. N. XIV. *Lex & Evangelium conveniunt in eo, quod contineant mutuum quendam inter Deum & homines contractum seu fœdus; in quo Deus aliquid exigit seu stipulatur ab hominibus, & ex sua parte aliquid promittit se daturum illis, si conditiones fœderis servent. Quod contra illos observandum est, qui Evangelium solis promissis constare, & nullas leges proponere contendunt; quæcunque vero in Novi fœderis scriptis bene vivendi præcepta & minæ occurrunt, Evangelii non esse propria, sed ex lege Mosis repetita &c. Evangelium verò continere mandata apparet ex concione Christi Matth. V. ubi legis Mosaicæ præceptis sua opponit &c. Idem Cap. XVII. N. III. postquam observasset Legem Dei perfectam vocari Ps. XIX, 8. quod accommodata fuerit statui illorum quibus ferebatur; Sed Deus, inquit, jus sibi non ademit aliquid ei addendi cum vellet, & magis eam adhuc perficiendi. Et hoc convenientissimè per filium suum unigenitum fecit, eum in mundum mittens, ut nobis totum voluntatis suæ arcanum manifestaret. Non decet ergo Christianos pro omnimoda ista legis perfectione pugnare, & eam Evangelio æquare, quod tot elogiis videmus supra legem efferrî. Limburgium supra audivimus. Nec est necesse Hugonem Grotium huc advocari testem, quem omnes opus eximium de Jure Belli & Pacis, hoc errore, passim intersperso, disseminatoque fœdavisse sciunt, ac dolent.*

IX. Ad specialiora transeo. Primò de perfectione Legis Mosaicæ intensiori; tum de novorum præceptorum accessione memoraturus. Quod igitur ad primam Legis Tabulam attinet, opinantur ac docent Sociniani, primum Decalogi præceptum, ex præscripto Christi, Novi Legislatoris, auctum esse certâ inusitataque precandi formulâ, quæ Oratione Dominicâ continetur; novoque & antea  
planè



planè inaudito Deum colendi modo, per Christum, ipso Christo simul culto, adoratoqve & invocato, tanquam vero Deo, quoad divinum in nos imperium; & interdicto adeundi loca, quibus idola coluntur. *In lege dictum erat, ne alios deos præter unum haberemus, aut coleremus, ait Smalcius lib. de Divinit. Jesu Christi Cap. V. p. 17. Implevit eam & perfecit D. Jesus, dum & modum orationis (quæ una ex potissimis cultus divini partibus est) certum & perpetuum, eumq; planè divinum præscripsit: dum etiam modum colendi Deum novum, qui antea planè erat inauditus, revelavit & præcepit. Lex enim nusquam aperte præcipit orationem, nedum ut certum orandi modum præscribat. Et pag. 19. 20. Modus colendi Deum novus est, colere eum per Jesum Christum. Quod quidem duplici modo fit. Colimus enim Deum per Jesum Christum, dum cultum divinum Deo Patri tribuimus, non tanquam discipuli vel sectatoris Mosis, sed tanquam Christi servi & subditi. Colimus etiam Deum per Jesum Christum, dum ipsum Jesum Christum colimus. Omnis enim cultus, qui Christo tribuitur, divinus, in solius Dei Patris gloriam redit & c. Præcipit lex, ne ullius rei, quæ in cælo desuper, & in terra deorsum, & in aquis sub terra est, imaginem vel similitudinem, neque faciamus, neque adoremus, neque eidem serviamus. Perfecit eam & implevit D. Jesus, dum per Apostolos omni ratione vitare jubet idola, adeò ut etiam loca illa vitemus, ubi ea coluntur. Adde Catech. Racov. p. 164. ff. p. 185. f. & imprimis Volkelium de ver. Relig. libr. IV. Cap. IX. X. XI. XII.*

X. Præceptum secundum amplificatum esse volunt à Christo, prohibitione juramenti, præter omnem necessitatem temerè suscepti; & concessâ facultate, in licito, jurandi etiam per nomen Christi. De illa Socinus de Officio Christi, Themate XXI. *Legi de juramento Christus perfectiorem*



fectiorem multò attribuit naturam, tollendo non tantùm per-  
juria, quæ sola à Mose prohibita erant, sed etiam quævis ju-  
ramenta voluntaria, licet aliòqvi verissima, rescando. Smal-  
cius loco proximè citato: Precipit lex, ne nomen Domini in  
falsum vel vanum assumamus. Perficit eam & implevit D.  
Jesus, dum nec in rebus veris illud assumere vel invocare per-  
mittit, (nisi tale quid à nobis exigat gloria Dei,) ut ita nomen  
Dei semper apud nos sit sacrosanctum, & nunquam vilescat;  
& ne sæpe jurando, pejerare etiam assuescamus. De utraqve  
Volkelius alleg. loc. Cap. XIII. col. 248. 250. Sed jam pon-  
deremus, quæ huic præcepto Christus addidit. Ea autem  
duo potissimùm sunt, quorum alterum expressum est, alterum  
evidentissima ratione adjunctum esse convincitur. De priori  
Christus Matth. V, 33. ss. Ex his verbis perspicuum est, ejus  
rei, quam Christus huic mandato adjunxit, summam in eo  
consistere, ut non solùm, quemadmodum & Moses præceperat,  
nomen Dei in vanum, sed etiam in id, quod vanum falsumq;  
minimè est, assumere ne audiamus; cum Dominus Jesus lu-  
culentissimè dicat, Omnino ne jurate; non quidem ut omnia  
simpliciter juramenta exterminet; cùm videamus Paulum  
Apostolum, qui sese nobis imitandum proposuit, non semel  
jurasse; sed ut ab iis juramentis, quæ nulla postulat neces-  
sitas, nos penitus arceat &c. Jam ut alterum, quod huic  
præcepto additum dici potest, videamus; intelligendum est,  
nos hoc tempore etiam per nomen Christi jurare posse. Quæ  
quidem res, quamvis expressa non sit, adjunctam tamen reve-  
ra esse, manifesta ratio convincit, quæ hoc subnixæ est funda-  
mento: ideo nempe per Dei nomen jurare nos posse, quia is  
non solùm intimos animi nostri sensus introspiciat, sed etiam  
in perjurii flagitium gravissimè vindicare queat. Utriusq;  
autem rei facultatem Christo concessam esse constat, cùm &  
cordium scrutator in divinis literis appelletur, & judex vivo-  
rum



rum ac mortuorum constitutus sit. Quo fit; ut qui per illum legitime jurat, is nihil faciat divina voluntati contrarium, vel potius cum ea non conjunctissimum. Confer Catech. Racov. p. 186. ff. Ostorod. Instit. Cap. XXV. p. 160. ff.

XI. Tertium præceptum, Socinianorum sententiâ, non morale, sed ceremoniale, & quasi nil pertinens ad disciplinam Christi, sine perfectione, abrogatum est. Adscriptum quondam in mandatorum moralium numerum, ut legis Mosaicæ imperfectio, futurumque tempus subindicaretur, quo diu sperata tandem aliquando consummatio accessura esset. Vide Catech. Racov. p. 189. Smalc. l. c. Volkel. d. l. cap. XIV. In qua verò re graviter errant, vehementerque falluntur. Mixti generis est, de quo loquimur, præceptum. Ceremoniale quidem, omnium confessione, quoad diem Judaicum, naturali ordine, in Cyclo Hebdomadico, septimum; Exod. XX, 8. 9. 10. 11. servandamque Judæis memoriam & servitutis, & liberationis Ægyptiæ. Deut. V, 15. Quod ut ad gentem pertinebat, Synagogâ stante; sic jam dudum sepultâ, cum reliquis ceremoniarum Leviticarum, pridem sublatum esse, facile concedimus, nullique dubitamus. Paulini illius memores, *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut Sabbatorum. Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Col. II, 16. 17. *Quomodo convertimini denuò ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro servire vultis? Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. Metuo de vobis, ne frustra laboraverim erga vos.* Gal. IV, 9. 10. 11. Morale verò, etiam Christianos obligans, non solum cultus Dei externus publicusque, procul habitis negotiis, præter necessitatem impediens; verum etiam, suo modo, dies aliquis, in hebdomade, certus statusque, quicumque fuerit naturali successu, sed ta-

C

men,



men, post decursum sextidui laboriosi, undecunqve inchoati, terminatione operum officii, aliàs per illud sextiduum consvetorum, perpetuò septimus. Quod ex verbis allegatæ legis ostendi posset, ac demonstrari, si postularet usus, aut instituti ratio pateretur. Otium nobis hinc inde fecerunt nostri, præsertim ab eo tempore, quo Franciscus Gomarus, & Andreas Rivetus, post alios Reformatorum Theologorum, de origine Sabbati inter se dissentientes, sed in hac quæstione concordēs, nostram sententiam oppugnaverunt. Ille Investigatione Sententiæ & Originis Sabbati, Cap. V. Part. II. Oper. f. 270. Hic Exercitatione XIII. in Genes. II. Tom. I. Oper. f. 56. Ecclesia interim Christiana pro ea, quæ superest, libertate in circumstantia temporis, jure suo usa, ad exemplum Apostolorum, in memoriam resurgentis Christi, primum septimariæ diem, religiosâ pietate atqve constantiâ, solennem ac festum agit. Vide Apoc. I, 10. & confer Act. XX, 7. 1. Cor. XVI, 2. Sociniani quod asserunt de præcepto tertio, non probant; & malè supponunt, quod est in quæstione. Nisi eos concludere malis, quod minimè sequitur. Num enim consequens est, Deus legi Morali adscripsit ceremoniale præceptum, suo tempore abrogandum; igitur illa imperfecta putanda est, & novis aliquando accessionibus augenda?

XII. Sed hæc ex incidenti. Progredior ad alterâ legis divinæ Tabulam. Quam universè Adversarii Christû ita extendisse censent, ut dum lege tenerentur Israelitæ, extraneis inimicisq; justo odio habitis, proximum diligere Israelitam, sicut seipsum; à nobis etiam inimicos amari velit, ornariqve beneficiis, ac cumulari, majori in proximum, quàm in nos ipsos affectu, illius causâ, non tantùm incommoda subituris, sed vitam quoque pro fratre, si opus sit, profusuris. Socinus Explicatione Capitis quinti Matthæi ad vers. 43. Tom. I. Oper.



Oper. f. 34. Verissimum est, etiamsi Christus dicta sua, non ipsi Mosis Legi, sed falsa ejus interpretationi, opponere in animo habuisset; tamen nihilominus in ipsis suis dictis precepta dedisse, quæ ea superant, quorum in Lege sit mentio, circa alterius amorem ac dilectionem. Et paulò post: Nemini dubium relinquitur, quin Christus plus præcipiat, quàm Mosis Lex præceperit, quod ad ipsam alterius dilectionem pertinet; quandoquidem Legis præceptum de proximo diligendo, non complectebatur nisi eos, qui essent ex eodem populo, ut antea docuimus: Christus verò præcepto suo de diligendo altero, omnes complectitur; Et breviter, Christi præceptum ad eum quoque pertinet, qui proximo in Mosis Lege sic vocato opponitur, ita ut uno verbo dicere possimus, Mosen proximi tantùm amorem præcepisse, Christum verò etiam non proximi. Item de Officio Christi Them. XXIII. f. 776. Legem de caritate ita extendit Christus, ut etiam inimicum, quem lex odisse concedebat, amari à nobis velit, Et omni beneficiorum genere affici. Volkelius de Ver. Relig. libr. IV. cap. V. col. 193. Jam ut proximi vocabulum excutiamus, intelligendum est, à Mose non nisi eum isto nomine appellatum fuisse, qui ex eadem Israelitica gente ortum habuit, ut ex illo Levit. XIX, 17. 10. loco apparet, ubi quem Moses in eodem verborum contextu, fratrem tuum, filium populi tui appellaverat, eum paulò post proximum nominat. Proximus ergo apud Mosen opponitur alieno, seu extraneo, Et maximè inimico, ut ex Cap. V. Matthæi, vers. 43. intelligitur; neque adeo ambitu suo comprehendit aliarum nationum homines, earum præsertim, cum quibus foedus inire, aut quarum misereri, quarumve prosperitatem querere usque in seculum prohibebantur. Deut. VII, 1. Es. IX, 12. Hodie autem ista nationum distinctio, Et sic inimicitia quæ inter Judaicum populum cæterasq; gentes olim intercedebat, Christi morte ita sublata est,



Eph. II, 14. ut inter *Judeum Ethnicumq;*, quod ad dilectionem proximo debitam attinet, nihil intersit, & porro quilibet homo, cujuscunque tandem sit nationis, proximus noster appellari possit. Et Cap. VII. col. 204. Animadvertendum est, non solum eum proximum amare officii nostri esse, cum quo nulla nobis intercedit amicitia; sed illum etiam, qui capitali à nobis odio dissidet. Discrimen enim illud, quod inter proximum olim & extraneum inimicum erat, per Christum, ut supra diximus, sublatum ita est, ut proximi inimicique nomen non amplius populum à populo discernat. &c. Rursum Cap. V. col. 194. Ad hanc autem, quam proximo prestare debemus, caritatem tanta per Christum facta est accessio, ut dici aliqua ratione possit, à nobis hodie postulari, ut eum majore etiam, quam nos ipsos, amore complectamur. Id quod duabus potissimum rationibus fieri debet. Primum enim generatim loquendo, multa incommoda subeunda, nulla capienda detrimenta, multa devoranda molestie homini Christiano sunt, ut proximo satisfaciat, resque illius in optimo statu collocet. &c. Cap. VII. col. 200. Sed illud multò gravius est, quòd pro fratre vitam etiam in discrimen adducere, atque adeò profundere, si opus sit, jubemur: idque illis Christi verbis: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. Job. XIII, 34. Item illis: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectione nemo habet, quam ut animam ponat pro amicis suis. Job. XV, 12. 13. &c. Adde Smalcium, Disp. VII. contra Frantzium. Ostorodum Institut. Cap. XXVII.

XIII. Quarto præcepto specialiter quid additum esse à Christo dicant, vix equidem inveniunt Sociniani, nec absque formidine oppositi huc referunt, quæ de parentum & liberorum, de magistratum & subditorum, de dominorum & servorum, deque maritorum & uxorum officiis in



in Scriptura Novi Testamenti traduntur, & inculcantur. Eph. VI, 4. Col. III, 21. Rom. XIII, 1. ff. Tit. III, 1. 1. Petr. II, 13. 14. 17; Eph. VI, 5. ff. Col. IV, 1; Eph. V, 22. ff. Col. III, 18. 19. 1. Petr. III, 7. Smalcius sibi ipsi adversatur, & repugnantia scribit. *Præcipit lex, ut honoremus patrem & matrem. Hoc, quia ita comparatum est, ut perfici & augeri non possit, hodie etiam ratum manet. Auctum verò est, & perfectum à Christo, quatenus etiam parentibus, & omnibus aliis, qui parentum loco sunt, utpote Magistratui, Dominis, maritis præcipit, quid eis faciendum sit. Nempe, ut quemadmodum Deus ipse, qui antea dominus tantum omnium erat, per Jesum Christum patrem sese exhibuit: ita etiam omnes, qui in alios imperium habent, non ut domini tantum, sed magis ut patres sese gerant erga eos, quorum domini sunt, & ne ipsi etiam parentes, imperio suo in liberos, quod post ipsum Dei imperium absolutissimum est, abutantur. De divinitate Jesu Christi Cap. V. p. 20. Majori cura, & magis ingenuè Volkelius: Dicendum nunc de iis esset, quæ Christus huic præcepto addiderit. Verùm diligenter licet inquirantibus, nihil tale occurrit. Nisi fortè ea, quæ de parentum, magistratuum, dominorum, maritorum; & contra subditorum, servorum, uxorumq; officiis, sacris literis prodita sunt, huc referri posse videantur: quæ tamen magna ex parte, vel in ipsa lege fuerunt tradita, vel ipsorum rationis lumine cognoscuntur. loc. cit. Cap. XV. col. 253. Similia in Catechismo Racoviensi leguntur p. 190. ff.*

XIV. Quinto præcepto, præterquam quòd magistratui Christiano à cæde ac sanguine, ideoq; à bellis, & severitate illa in facinorosos, quæ horum sanguine constat, abstinentum sit, noviter à Christo prohibitum esse ajunt, ne cuiquam manus inferamus, vel ulciscendi libidine irascamur, aut convicium faciamus; inò læsi ne magistra-



tum quidem ad eam, cupiditate vindictæ, quærentes, ut  
is, à quo læsi sumus, damnum doloremve nostri causa  
sentiatur. De quibus omnibus l. cit. Cap. XVI. col. 255. ff. ita  
Volkelius: *Videtur & magistratus Christianus eo ( præce-  
pto quinto) ita comprehendi, ut à cæde ac sanguine, ut à bel-  
lis sit alienus, nec ea severitate, quæ Moses olim magistratum  
uti voluit, supplicia infligat, nec quos servare emendare  
possit, perdat, & sic gladium quo ad salutem humani generis  
armatus est, ad ejus perniciem convertat. &c. Verum &  
alia sunt, quæ Christus huic legi adjecit, quibus non solum  
nemini manus afferendas esse, sed etiam mentem atque lin-  
guam à proximi nostri ultione ita abstinendam docuit, ut nec  
illi irascamur, nec per contemptum durioribus illum verbis ac-  
cipiamus. &c. Christus omnem non modò privatam, sed eti-  
am publicam vindictam abrogat; suis quæ præcipit, ut similem  
denuò injuriam subeant potius, quàm illatam, sive per se,  
sive per magistratum ulciscantur. Neque tamen inde colligi  
potest, Christianum hominem omni simpliciter ad magistra-  
tum aditu prohiberi; sed eo tantùm, qui ad ultionem ac  
vindictam spectet, aut spectare queat. Adde Soci-  
num de Officio Christi Them. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.  
Explicat. Matth. V, 21. 22. 38. ff. Catech. Racov. pag. 195. ff.  
Smalcius de Divin. Jes. Christ. Cap. V. p. 21. Et contr. Fran-  
tzius p. 389. Ostorodum Instit. Cap. XXVI. Schlichtin-  
gium contr. Meisner. p. 358. ff. Wolzogenium Commen-  
tar. in Matth. V, 39. Et Append. V. ad vers. 43. T. I. Oper. f.  
227. 239. ff. Instruct. ad util. lect. Libror. N. T. Cap. IIX. ff.  
T. II. Oper. f. 270. ff. Qui posteriores tamen circa bellum  
inter se disputant; defensivum admittente Schlichtingio,  
sed Wolzogenio improbante utrumque, defensivum juxta,  
ac offensivum, ut vulgò appellari, atque distingvi solent.  
Vide utriusque Annotationes ad hanc de bello gerendo quæ-  
stio-*



tionem Tom. III. Oper. Wolzogenii f. 75. ff. 112. ff. Præi-  
verat Socinus Them. XXIV. de Off. Christi scribens : *Ex  
quo consequitur, homini Christiano, siue magistratum gerat,  
siue vitam privatam agat, non licere hostis interficiendi  
causâ arma vel stringere, vel belligerare, siue bellum susci-  
piat offensivum, ut vulgò dicitur, siue defensivum.* Quod  
Part. III. Respons. ad Palæologum, Tom. II. Oper. f. 75. ff.  
latius pertractat argumentum: nihilqve minus agit, quàm  
quòd Schlichtingio visus est, jus belli asserere, quod con-  
servandæ reipublicæ causâ agitur. Omitto, cum cæteris,  
circa supplicia quoque, non convenire Schlichtingio. Et  
ad sextum me præceptum confero.

XV. Cui Christum adjunxisse Sociniani putant, quòd  
desiderio alienæ uxoris, tanquam adulterii crimine, aspe-  
ctuqve libidinoso, obsceno præterea sermone, & contre-  
ctatione impura, multoqve magis scortatione, similibusq;  
turpitudinibus, imò immoderato etiam conjugii usu, nec  
non dimissione uxoris absque adulterii culpa, & plurium  
uxorum consuetudine, contrahendoqve cum infideli ma-  
trimonio prohibemur. Quod longum foret, productis  
in medium verbis auctorum, diducere ac confirmare. Cui  
voluptas & otium est, apud Volkeliū toties allegato lo-  
co, Cap. XVII. pleraque leget, quæ diximus; nec gravabi-  
tur conferre in hoc commento sibi ipsi mirificè placentem  
Socinum Expl. Matth. V, 27. 28. Catechismum Racovien-  
sem p. 199. ff. Smalcium de Divin. Christ. Cap. V. p. 21.  
Ostrodum Instit. Cap. XXIV. Wolzogenium in Matth.  
V, 27. 28. f. 220. Mihi, crescente dissertatione, ad præce-  
pta reliqua properandum. Nam & Septimo accessisse per-  
hibent, mandante Christo, quòd nos oporteat facultates,  
etiam honestissimè partas, quotquot vitæ nostræ necessita-  
tes superant, non nostras existimare, sed aliorum; eamqve  
ob causam avaritiam luxumqve fugere, ne liberalitatem  
pau-



pauperibus debitam impediunt. Octavo, quod à mendacio, etiamsi alteri non noceat, temerè prolato, & ex quadam animi levitate profecto, simulationibusque ac dissimulationibus, frustra & absque iusta causa susceptis, præfertim ab iniquis irâ, odio, aut malignitate animi subministratis nutritisque, vel saltem caritatis quodam defectu surgentibus alienorum morum factorumque censuris, judiciis & condemnationibus abstinendum est. Nono & Decimo, ne bona appetamus aliena, multoque minus cogitationem ineamus de iis obtinendis, minimè omnium eâ nos oblectemus, ac titillemus: etiamsi nos consecuturos esse diffidamus, nec consequendis quocumque pacto operâ demus. Vide Volkeliu l. d. Cap. XIIX. XIX, XX. Catechismum Racov. p. 203. ff. Smalcium de Divin. Christ. Cap. V. p. 21. 22.

XVI. Hæc sunt, quibus intensa per Christum Sociniani videtur Legis Mosaicæ perfectio. Jam quod ad præcepta Christi singularia de novo accedentia, traditaque seorsim attinet, quatuor eque huiusmodi ponunt ac numerant Sociniani. Tria moralia; Ceremoniale unicum. Moralia sunt, Seipsum abnegare, Crucem suam tollere, Christum imitari. Ceremoniale, Sacram celebrare Cœnam. Ita namque Socinus de Off. Christi Them. XXIIX. ff. *Ut autem de iis præceptis jam agere incipiamus, quæ in Novo Fœdere peculiariter sunt tradita, absque respectu Mosaicæ Legis, ea duplicia esse censemus, partim bonos mores, partim externas ceremonias concernentia. Quæ ad mores pertinent, sunt, seipsum abnegare, Crucem suam tollere, Christum imitari. Ceremoniale unicum est, sacram cœna, quæ à Christo est instituta in commemorationem mortis suæ, id est, ut ipsum etiam Christum solenni laude celebremus, atque pro Augusto illo beneficio, & ineffabili ejus amore, quod corpus suum nostra causa contundendum, & san-*



*Et sanguinem effundendum tradiderit, gratias ipsi religiose  
agamus. &c. Smalcius de Divin. Jesu Christi Cap. VI. p.  
22. 23. 24. Ne quicquam deesset eorum, quod ad summam  
vitae integritatem pertinet, praecepit praeterea D. Jesus, ut,  
qui suus discipulus esse velit, seipsum abneget, crucem  
suam quotidie tollat, & se sequatur. Quibus tam paucis  
verbis tantam comprehendit sanctitatis perfectionem, ut  
Angelicam vitam superare, & ad divinam accedere vide-  
antur illi, qui isto modo pie vivere conantur. &c. Est  
unum adhuc praeceptum singulare D. Jesu, quod, quia ex-  
ternum & ceremoniale est, videri fortasse alicui possit à  
D. Jesu Christi tam divina doctrina alienum, & est ritus  
celebrandi coenam Domini, per fractionem & comestio-  
nem panis, & per infusionem & bibitionem vini. Sed ego,  
ut nunc alia taceam, crediderim, vel ex eo ipso posse con-  
stare unicuique de ejus quadam divina praesentia, quod ab  
eo, qui Legem Dei ceremoniam tandem abrogavit, quique  
merè & purè spirituales cultum docuit, haec sola ceremo-  
nia in numerum praeceptorum ejus perpetuorum, & uni-  
versalium, cooptata sit. &c. Volkelius de Ver. Relig. lib.  
IV. Cap. XXI. col. 296. Sequitur tandem, ut ea Christi  
praecepta explicemus, quae seorsim suis tradidit. Quae qui-  
dem vel moralia, vel ceremonialia sunt. Ac moralia qui-  
dem tria potissimum numerantur: quorum primum nostris  
ipsius praescribit abnegationem: alterum ad crucis, afflictio-  
numque tolerantiam nos instituit: tertium denique Christi nos  
docet vestigia persequi. Ex Cap. XXII. col. 301. Adhuc  
Moralia Christi praecepta fuerunt: Sequitur ut de Ceremo-  
nialibus agamus. Unum autem tantummodo datum à  
Christo nobis est, nimirum Coenae ipsius sanctissimae reli-  
giosa celebratio. Quam quidem aliquid haberi oportet  
eximium, utpote à Christo, qui omnes alioque ceremonias  
D exter-*



exterminavit, institutam, fideliumq; nationi traditam. In Catechismo Racoviensi similia leguntur p. 207. In quantum verò Arminiani in specialioribus hisce Socinianiis faveant, cum apud Auctores alios, supra adductos, tum in Apologia præcipuè pro Confessione eorum videre est, ad Censuram Capitis XII. & subsequentium.

XVII. Nos etsi Christum Servatorem veram legis sententiam exposuisse scimus, eandemq; vindicavisse à corruptibilis falsorum interpretum, præsertim Pharisæorum: tamen nova dedisse præcepta, quibus Mosaica lex vel perficeretur, vel augetur, indeq; nomen legislatoris novi meruisse, nobis persuaderi non patimur. Quorum alterum tam luculentum est, ac manifestum, ut ne adversarii quidem negare audeant: alterum, si cui probari debet, ipsis ostendendum incumbit. Socinus, Explicat. Cap. V. Matth. vers. 21. f. 13. *Quamvis antea statuerimus, Christi mentem esse, ipsis Mosaicis præceptis aliquid addere, non autem falsas interpretationes eorundem præceptorum, quas Scribæ & Pharisei populo obtrudebant, refellere: id tamen ita intelligendum est, ut concedamus Christum aliquoties, dum Mosis præceptorum mentionem facit, cum istis aliquid conjungere, quod expressum discretè in ipsa lege non sit; sed audiretur tamen, & ab antiquissimis temporibus in populo auditum fuisset, tanquam si germana pars esset ipsius Mosaici præcepti, quæ tamen additamenta non abborrerent ab ipsa legis Mosaicamente; sed & præterea id, quod diximus, ita intelligendum est, ut interim non negemus, Christum alicubi potuisse tacitè recitandis ipsis verbis Legis intelligere unà cum illis interpretationem illorum, quæ in populo resonabat, quam ipse tamen non probaret, quamq; iis, quæ præcipiendo ipse subjungit, refelleret, atq; rejiceret.* Curcellæus, Relig. Christ. Institut.



Instit. lib. V. Cap. XVII. N. II. f. 281. *Quod D. Jesus legem Mosaicam à falsis Scribarum, & Pharisaorum, interpretationibus vindicavit, traditiones eorum, & varia circa religionem peccata, acriter reprehenderit: id liquet ex Matth. XV. XVI. XXII. & XXIII. aliisque historia Evangelica locis. Eoque solet etiam referri concio illa in monte habita, quae Matth. V. VI. & VII. continetur. Et nolim negare nonnulla, quae ibi leguntur, id innuere.* Nec plura nunc in rem praesentem adducimus testimonia, cum ex his luculenter appareat, eos, vel per *δευτερογενος* *Φαρισαίων* in sententiam nostram ivisse, vel luce veritatis constrictos verae sententiae repugnare non potuisse, sed ei locum dare, per conscientiae dictamen opus habuisse.

XIIX. Nos potius breviter asserta superius ex facris literis comprobamus. *Primum* est, Christum Servatorem veram legis sententiam proposuisse, simul & exposuisse, siquidem fuit verus ad legem Ductor, dum suos auditores non tantum, sed etiam suos tentatores ad legem ablegavit, & omnes ad hanc manu quasi duxit, prout passim videre licet: fuit verus Ecclesiae Doctor, qui suos auditores in praecipis legis informavit, Matth. XIX. 18. fuit verus Legis Interpres, & Commentator, Matt. V. 21. seqq. c. XXII. 37. verus Legis Encomiastes, & commendator ibid. ubi loquitur de primo, maximoque mandato, & de secundo huic simili v. 34. seq. & cap. V. 17. ceu verus hyperasphistes, & conservator, atque confirmator Legis introducitur: *Nolite putare, quoniam venerim solvere legem, aut Prophetas: Non veni solvere, sed adimplere: Amen, quippe dico vobis; donec transeat caelum & terra, jota unum, aut unus apex, non prateribit à lege, donec omnia fiant.* Qui vero solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus (vel nullus)



*vocabitur in regno caelorum : qui autem fecerit, & docue-  
rit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.*

XIX. *Secundum* est, Christum Servatorem legem à corruptelis falsorum Interpretum, praesertim Pharisæorum, & Legisperitorum, vindicasse. Sic igitur non modò fuit legis index, sed etiam vindex, non ejus tantum assertor, sed etiam defensor, & propugnator, quod non ex aliis modo locis Evangelistarum, sed ex ejus sede propria, Matth V, 21. seqq. ad oculum demonstrare licet. Nam hic certe non de lege Mosis, vel divinis ejus præceptis, sed de corruptelis pharisaicis est sermo, quod innumera textus, & contextus argumenta solidissimis fundamentis evincunt. Hâc vice saltem urgemus, illam continuam oppositionem, quæ sæpius à Christo repetitur, & adversariis, contra quos disputat κατὰ διὰ μέτρον opponitur: *Audistis, quia dictum est antiquis*, (non Patriarchis, neque Prophetis, nec Israelitis, nec Judæis, sed antiquis Pharisæis, ceu legis, non Doctoribus, sed tortoribus, non Herminevtis, sed Pseudherminevtis: ) *Ego autem dico Vobis*: ut ne utiqvam antiquas Pharisæorum traditiones, & detorsiones admittatis, sed potius antiquissimas Dei, Patriarcharum, & Prophetarum, explicationes, & applicationes, tantum admittatis, quæ verum ostendunt Legis usum, & fructum, sicut Pharisæorum Pseudherminia pessimum secum trahunt abusum.

XX. *Tertium*, quod Christus ne utiqvam nova præcepta dederit, quibus Mosaica Lex vel perficeretur, vel auferetur. Nam Lex Mosaica ne utiqvam est hominis lex, verum Lex Summi Legislatoris, ipsius Dei, cum primis quia legem Moralem e Monte Sinai, non Moses, non Lycurgus, non Solon, non alius inter homines, vel Propheta, vel Legislator, sed Jehova Elohim, sonor  
voce



voce promulgavit *Exod. XX. 1. seqq.* qui Deus est Unus, quoad Essentiam, & Trinus, quoad Personas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: jam omnia, quæ verè Dei sunt, perfecta vere dicuntur, sicut ipse Deus perfectus est. Quemadmodum enim omnia, quæ fecit *Hic* in creatione, valde bona, seu perfecta fuerunt, ita pariter Deus tantum verba perfecta loquitur, & opera perfecta tantum operatur. Et certe, si Lex primæva *Gen. II. 17.* protoplastis non tantum, sed etiam omnibus posteris, & antediluvianis, & postdiluvianis, verè perfecta fuit ad Moysen usq; sequitur, quod etiam Lex divina, per Moysen consignata, perfecta fuerit ad Christum usque, quæ ratione nulla, vel perfectione, vel auctione, per Christum opus habuit. Unde Christus ipse dicit *Matt. V. 17. Ego non veni solvere legem, sed adimplere*, quod complementum non est verborum, aut præceptorum, quasi novas ipse leges proposuerit, sed potius factorum, & meritorum, sicut Paulus *Gal. IV. 4.* luculenter id exponit: Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & nos adoptionem filiorum Dei reciperemus. Hinc non potest negari, fideles Veteris Testamenti verè normam vitæ perfectam habuisse, sicut fidelibus in Novo Testamento non alia, quam perfecta vitæ regula proponitur. Manifestum itidem est, ex apertissimo Davidis testimonio *Psal. XIX. 8.* quod Lex temporibus illis perfecta fuerit, cum apertissima sint Spiritus Sancti verba: Lex Jehovahæ perfecta. Quinimo Lex Moralis est æterna divinæ justitiæ regula, vel idea, non igitur in tempore sua quædam incrementa, vel augmenta, recipere, vel debuit, vel potuit. Lex ab æterno perfecta fuit in Dei decre-



tis, in tempore perfecta semper extitit in Dei verbis,  
& in æternum perfecta manebit in gloria, vel in omni-  
bus Angelorum, & Electorum Dei Filiorum factis. Chri-  
stus etiam, quoties legalia tractavit, vel suis Auditori-  
bus explicavit, & commendavit, ad Legem Mosis eos ab-  
legavit, nec ad aliam legem provocavit, unde per-  
fectionem, vel plenitudinem ejus luculenter indica-  
vit, & legem Mosis, tanquam vitæ perfectam in No-  
vo Testamento formam, & normam, confirmavit. Ut  
quoque legis, & Veteris, & Novi Testamenti plenari-  
am identitatem ostenderet, in solenni congressu Pha-  
risæorum, & aliorum, *Matt. XXII. 35.* interrogatus de  
lege, vera seu perfecta, tum antiquiorum, tum præsentium,  
tum futurorum temporum, non nova quædã, juxta su-  
um officium, sed prisca præcepta, juxta Mosis testimoniũ,  
allegavit, & sic Mosis, & Christianæ legis identitatem o-  
mnimodam demonstravit. Magister, dicebat legis Do-  
ctor, quod est mandatum magnum in lege? respon-  
dit illi Jesus. *Diliges Dominum, Deum tuum, ex toto  
corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*  
quæ verba vere sunt Mosis verba, *Deut. VI. 5.* Et de  
hoc præcepto Christus dicit. *Hoc est maximum, &  
primum peccatum.* Si Mosis præceptum est maximum,  
& primum (dignitate potissimum,) mandatum, num  
Christi mandatum inferius erit Mosaico præcepto?  
*Secundum autem, addit, simile est huic: Diliges pro-  
ximum tuum, ut teipsum, ex Levit. XIX. 18.* Notatu  
denique dignum est, quod Salvator addit: In his duo-  
bus (Mosaicis) mandatis universa lex pendet, & prophetæ.  
Quid igitur in Mosaicis præceptis desiderari poterit, quod  
Salvator de novis quibusdam præceptis addere debuerit?

XXI.



XXI. *Quartum* denique, quod Christus ex hoc præceptorum additamento *Novi Legislatoris nomen* meruerit, frustra dicitur, & falso prætenditur. Merita Christi Salvatoris, quatenus nobis peccatoribus prodesse possunt, aut debent, non tam ad legem, quam ad Evangelium pertinent, sicut prolixè demonstrari posset. Deinde novum non Legislatoris, sed Jesu, vel Salvatoris, Nomen accepit, quemadmodum Paulus hoc multis inculcat *Phil. II. 9. Deus exaltavit illum (Christum Jesum,) & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu caelestium, terrestrium, & inferorum.* Christus etiam nihil sibi, nobis autem omnia meritus est, quia sicut *propter nostra (non sua) delicta traditus est, & propter nostram (non suam) justificationem resurrexit, Rom. IV. 25.* ita quoque meritum omne non pro se, sed pro nobis præstitit. Breviter Christus, ut *ἀρχαῖος*, est æternus, & antiquissimus Legislator, & talis etiam vere dicitur, ne utiquequam autem Legislator Novus appellari vult, aut potest, ac proinde talis dici non debet: non *illud*: quia nullum hujus voluntatis suæ per universam scripturam indicium fecit, quod certè vel semel indicasset, si Novi Legislatoris titulum gerere, sanctissima voluntate sua constituisset; non *istud*, quia primus est Legislator, & vetustissimus, adeoque nec jure, nec adeo commode *Novus* appellari potest; non *hoc*, quia non ut Legislator, sed ut Salvator, non ad ligandum, sed ad liberandum, non ad maledicendum, sed ad benedicendum, non ad condemnandum, sed ad glorificandum venit, qua de causa vigore proprii muneris ne quidem Legislator, multo minus Novus Legislator, omnium minime sensu *Socinianorum, & Arminianorum* talis dici debet.

TANTUM!



AD CLARISSIMUM ET PRÆEXIMUM,  
DN. M. DAVID HORNICEUM,  
DE NOVO LEGISLATORE CHRISTO,  
PUBLICE DISPUTANTEM.

**M**Agnum, CLARISSIME DOMINE MAGISTER, *A-*  
*mice colende, Christi Salvatoris est munus, à quo depen-*  
*det omnis nostra salus, & in quo toto versatur Christiani-*  
*smus. In hoc Christi munere viget Christianorum initium, medium &*  
*exodium. In hoc occupatur omne Theologorum auspiciam, jure pari-*  
*ter curriculum, & felix omnium laborum punctum. In hoc incepisse,*  
*maxime laudabile, in hoc finiisse maxime salutare. Tu, CLARISSI-*  
*ME DN. MAGISTER, primum in Hoc publicorum Theologorum*  
*laborum intendisti periculum, sed BEATUS NOSTER WAL-*  
*THERUS, VIR DE BONO PUBLICO tam Ecclesiæ, quam Theolo-*  
*giæ, MERITISSIMUS, GENER, COMPATER, & COLLEGA*  
*MEUS DESIDERATISSIMUS, (Cujus memoria cum Gloria fit in*  
*Benedictione!) vidit in Eodem omnium laborum & publicorum, &*  
*privatorum Exodum. Desiderasti, CLARISSIME DN. M. RESPON-*  
*DENS à SUMMO THEOLOGO Disputationem Publicam, loco*  
*Valedictionis, Matri studiorum, & exhibendam, & relinqvendam.*  
*VIR OPTIMUS, ad omnes labores facilis, nec Tibi fuit in hoc dif-*  
*ficilis De Christo non Novo Legislatore, contra recentiorum Hære-*  
*ticorum, & Socinianorum, & Arminianorum, heterodidascaliam, ac-*  
*curatam Disputationem consignavit, sed in Eodem vero suo Salva-*  
*tores, Mercedem Oprimam æternæ salutis reportavit. Obitus ejus Eccle-*  
*siæ durū fung, Academiae dirū funus, Nostræ familiæ luctuosū fung,*  
*sed Ipsi WALTHERO gloriosum fœnus, bonorū pelagus! Dum igitur,*  
*CLARISSIME DN. RESPONDENS, & ultimam laboris manum,*  
*& Præsidis vices, à me postulasti, me Vicarius sisto, & Beati Theolo-*  
*gi partes vicarias expedio. DEUM ex intimis precor, ut Ecclesiæ da-*  
*mna resarciat, Academiae vulnere restituat, Familiam collapsam fo-*  
*veat, promoveat & augeat! Tibi vero, tuisq; studiis in omnibus opti-*  
*me consulat, ut multis fructibus ubique splendeant! FIAT!*

Wittebergæ D. XXXI. Martii  
Anno MDC XCII.

TUÆ CLARIT. STUDIOSS.  
JOHANNES Deutschmann D.



A-  
pen-  
ani-  
m &  
ari-  
pisse,  
SSI-  
rum  
AL-  
olo-  
GA  
it in  
, &  
ON-  
loco  
dam.  
dif-  
lare-  
, ac-  
alva-  
ccle-  
fung,  
gitur,  
num,  
eolo-  
e da-  
n fo-  
opti-

D.

ULB Halle 3  
004 756 223



1077









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

**KODAK Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2000

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



(12)

